

† R. P. Ioannes Bapt. Ghibellini.

Die 28 ianuarii a 1922 Cortonae in provincia Romana supremum diem obiit R. P. Ioannes B. Ghibellini, annos natus octoginta septem, e quibus prope sexaginta sex in Congregatione votis religiosis adstrictus transegit. Cuius obitus tranquillus potius ad coelestem patriam transitus dici potest. Cum enim illi iam morituro a confratre quodam dictum esset, « Pater, fortasse Dominus te ad se vocaturus est », ipse ore placido aspectuque sereno « Optime », inquit, « en, paratus sum ».

Haec animi quies, qua Pater carissimus in Domino requievit, diuturnae eius peregrinationis exitus dignus fuit, utpote quo tota vita eius mire repercuteretur. Et re vera, quamvis innumeris iactatus vicissitudinibus, aequo semper et pacato animo fuit. Atque si prae oculis haberes, quod Horatius de sene dicit, quasi sit « difficilis, querulus, laudator temporis acti se puero », senis nostri Ghibellini exemplo poetam refellere poteras, cuius in vultu ipsa animi iucunditas resplendebat, ita ut, cum omnium in provincia esset natu maximus, simul omnium esset amabilissimus.

Natus in Pavullo, qui est pagus provinciae Mutinensis, die 17 augusti a. 1835 in ipsa patria prima studia absolvit, deinde annum agens vicesimum secundum Congregationem nostram est ingressus. Cum adhuc clericus studens esset, iniquis temporum necessitatibus in Austriam exul ire coactus in domo nostra Puchheimensi studia theologica perfecit ac denique Lincii a Venerabili Dei Servo Francisco Iosepho Rudigier sacros ordines suscepit a. 1861. Postquam vero rebus compositis in Italiam redire potuit, in variis domibus, quibus provincia nostra Romana per Latii Venetiaeque regiones late patet, est commoratus in sacris missionibus fortiter laborans. Qua in re loquela sua facili, acri ac suaviter subridenti id effecit, ut inter optimos catechistas ipse primus haberetur. Citissime etiam praeclaris cordis ingeniique virtutibus inter confratres emicuit, quamobrem a superioribus electus est, qui variis in Congregatione muneribus fungeretur. Magister novitiorum primo, tum saepius Rector renunciatus, totius demum provinciae gubernacula tenuit, quo in munere capitulo generali Romae a. 1894 celebrato interfuit.

Extremos viginti quinque vitae suae annos Cortonae transegit, ubi et optimis consiliis et virtutum exemplo ad iuvenes nostros formandos plurimum contulit. Nec tamen apostolatam deseruit; per multas enim diei horas usque ad ultimum vitae suae mensem in sacro poenitentiae tribunali assiduus degebat, ut omnibus praesto esset, qui etiam ex longinquo venientes eum adibant.

Hoc diuturno occulto ministerio, singulari humanitate atque affabilitate omnibus loci civibus acceptissimus ac desideratissimus est effectus. Quod sane in exsequiis mirifice effulsit; ingens enim multitudo ordine et condicione diversa, ut observantiam ei praestaret, funus prosecuta est, quod amplius sollemniusque desiderari non poterat.